

Universitätsbibliothek Rostock

Leges Bibliothecæ Academiæ Rostochiensis : Ex Concluso Rev. Concilii d. a. MDCCIX.

[Rostock], [1709]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775878759>

Druck Freier  Zugang



1709





26.
is.

LEGES

BIBLIOTHECÆ A- CADEMIÆ RO- STOCHIENSIS

Ex

Concluso Rev. Concilii d.a. M.



I.

Rector Academiæ Magnificus, Rectoratum deponens, in augmentum Bibliothecæ aliquid pro lubitu conferat. Promotoris autem, an idem facere velit, libero arbitrio relictum esto.

II.

Promovendus in quacunqve Facultate, pro lubitu & posse, aliquid in emolumentum Bibliothecæ conferat; ita tamen, ne *Magistrandus* infra Imperialem: *Licentiandus* reliquarum Facultatum, infra tres florenos: *Doctörandus* infra duos Imperiales offerat. Bibliothecarii autem pro tempore constituti, proximo ante promotionem octiduo, & Dño Decano cujus libet Facultatis, & promovendis, id in memoriam revocent, hosqve ea de re admoneant,

III.

Cum nonnunquam contingat, quod Rostochien-

quæntes, vel Professores vel alii eruditi, scripta sua alibi excudi curent, jubeantur omnia Academiae membra, cæteri rogentur, semper uno exemplo locupletare Bibliothecam. Quæcunqve autem publico Academiae nomine impressa, & à Bidellis distribuuntur, ex his unum exemplum pro tempore Bibliothecariis tradant. Quotiescunqve vero convincuntur hoc non fecisse, solvant unam Marcam Lübecensem de Salario ipsorum vel accidentibus decurtandam & Bibliothecæ fisco inferendam.

IV.

Quæcunqve Tabulæ publicæ affiguntur, v. g. Disputationes, aliaqve, itidem Bidelli observent.

V.

Quæcunqve in utraqve Typographia imprimuntur, non concurrente Academia, vel Professore, vel alio membro Universitatis, sive Carmina fuerint, sive libri, Catechismi, aliaqve hujus generis, quæ pariter ad rei memoriam & Academiae nostræ historiam complendam, Bibliothecæ inferenda sunt, jubeatur a quolibet Rectore Typographus Academicus, quoties tale quid imprimit, unum Exemplum afferre Bibliothecario. Quoties id neglexerit, multam solvat unius Marcæ Lübecensis. Fisco Bibliothecæ inferendam, & a summa, a quolibet Rectore ipsi singulis semestribus debita, decurtandam, & nihilominus exemplum Bibliothecæ restituat. Idemqve ut à Typographo oppidano fiat, & sub certa poena eidem injungatur, ab Amplissimo Senatu, tanquam Academiae Compatrono, expetatur.

VI.

VI.

Auctionibus librorum habitis, curatores auctionum, librum melioris notæ in compensationem privilegii hujus, Bibliothecæ donent.

VII.

Professores Novelli, vel Librum, vel duos Imperiales, Bibliothecæ offerant.

VIII.

Bibliothecariis libera potestas concessa, in Bibliothecæ commodum, ad duodecim usque Imperiales, libros in Auctionibus coëmendi.

IX.

Illis, qui Bibliothecam intrant, Bibliothecarii liberalitatem prudenter commendent; quæcunque autem, durante cujusque Bibliothecarii administratione, ab ipso fuerint collecta, pro lubitu in emolumentum Bibliothecæ impendat.

X.

Si quando iidem libri, pluribus vicibus in Bibliotheca reperiantur, hi in Auctionibus vendantur, & ex pretio inde redacto alii comparentur, nisi propter raritatem aut diversitatem editionis, studio retinendi.

XI.

Ab Academicis, ut, si quando in duplo libros possederint, in augmentum Bibliothecæ, id quod ipsis superest, liberaliter conferant, expetant Bibliothecarii.

XII.

Bibliothecarius p. t. administrans, hebdomadam die Mercurii atque Sabbathi, ab hora secunda
ad

ad quartam pomeridianam, cuiuslibet aditum concedat, & Bibliothecam omnibus aperiat.

XIII.

Nemini usus libri cuiusdam absque pignore concedatur.

XIV.

Quicumque librum aliquem, à Bibliothecario commodato datum, ultra duas Septimanas penes se retinuerit, solvat Marcam Lübecensem.

XV.

Quisquis ex numero Studioforum operam Bibliothecarii Administrantis plus solito expetierit, gratum quoque se vicissim re ipsa exhibebit.

XVI.

Illud quod annuatim à Commensalibus conquirendum, simpliciter libertati studioforum relictum esto: potissimum verò illi, qui nunquam aliquid contulerunt, semet liberales exhibebunt.

XVII.

Bidelli, omnibus & singulis Academicis, liberalitatem erga Bibliothecam Academicam, civilibus verbis sedulo commendent.

XVIII.

Quoties novi Bibliothecarii constituuntur, dies statuatur, in quo præsentè Rectore Academiae Magnifico, & Rev. Concilii deputatis, Bibliotheca à veteribus tradatur novis, libris secundum Catalogum specialem recensitis, ostensis. Sic enim præcavebitur, ne tot libri amittantur, quot jam sunt amissi.

❧(o)❧





the scale towards document

VI.
orum habitis, curatores aucti-
oris notæ in compensationem
liothecæ donent.

VII.
elli, vel Librum, vel duos Impe-
fferant.

VIII.
ibera potestas concessa, in Bibli-
ad duodecim usque Imperiales,
coëmendi.

IX.
thecam intrant, Bibliothecariï
ter commendent; quæcunqve
que Bibliothecariï administrati-
collecta, pro lubitu in emolu-
impendat.

X.
libri, pluribus vicibus in Bi-
, hi in Auctionibus vendantur,
cto alii comparentur, nisi pro-
versitatem editionis, studio re-

XI.
ut, si quando in duplo libros
entum Bibliothecæ, id quod
ter conferant, expetant Biblio-

XII.
. t. administrans, hebdomada-
e Sabbathi, ab hora secunda
ad